veris tempora redire cognoscit, confestim redit cum illis et ipse,
sedesq; repetit antiquas, in quibus tam diu moratur, donec spi-
rare boreales venti, folijs nudari arbores, gelidumq; mane incipi-
at esse; tum, ne hyemis asperitatem perferre cogatur ocius
sese alio hyematum recipere festinat. Ingruentes verò
pluviarum procellas, imminentesq; ventorum flatus et turbines,
præsertim verò Favonij Austriq; calescentis tepores malignos,
ita verissimè pronuntiat, ut vix quispiam peritissimus astro-
logus, nam ubi eos imminere providet, frequentius ille homini
adesse, acriores morsus infigere, molestiorem denique et inquietio-
rem sese quam unquam aliàs exhibere solet, ut ex illius,
quâ hominem afficit molestiâ, facilè cœli molestias atq;
iniurias coniecturare liceat. Desinant itaq; mortales
tempestatum vices ex Kalendarijs (ut vocant) ultra petere
astrologum potius pulicem consulant, futurasq; cœli tempestates
ex illo deinceps quærere studeant. Sisterem
nunc hic AA. in extollendis artibus atq; scientijs, quarum
pulex peritus esse deprehenditur: at ecce occurrit aliud quiddam,
quod, iure optimo, primo loco dicendum fuerat, incredibilis
scil. illa, et eximia agilitas, et saltandi peritia, quâ,
licet in diversis suis exercitationibus, præcipuè tamen
in defendenda ~~vita~~ utitur vita: non n. ille crabronum
instar acuminosis aculeis, non quod hericij assolent, erectis
in tergore cuspidibus, non cochlearum more, lutea domui